Indice

DE

GASTRO-HYSTEROTOMIA

DISSERTATIO.

CORRIGENDA.

APUD PAG.	LIN.	PRO VERBIS.	LEGANTUR.
8	13	plaga;	plaga,
9	10	apponitur	opponitur
10	8	arborem, non studere	arborem non studere
»	32	hinc ad pollicem dimidiumque	hinc ad pollices duos dimidiumque
11	9	in inguinali sive,	in inguinali, sive
»	10	indicat;	indicat:
»	18	mortem, vivi	mortem vivi
12	12	Chirurgi,	Chirurgi:
15	22	integument	integumenta

DE

GASTRO-HYSTEROTOMIA

DISSERTATIO.

THESIS,

QUAM,

APUD FLUMINENSEM MEDICINÆ FACULTATEM, DIE 1 DECEMBRIS ANNO 1845,

PRO DOCTORATU CONSEQUENDO TUEBATUR

Dr. Franciscus Praxedes ab Andrade Pertence,

Fluminis Januarii natus,

Filius, justa uxore, Josephi Ferreira a Faria Pertence.

Καιρὸν γνωτι.
Πιττακός.



FLUMINIS JANUARII

EX TYPIS LAEMMERTII, VIA LAVRADIO, 53.

MDCCCXLV.

FLUMINENSIS MEDICINÆ FACULTAS.

DOMINI DOCTORES.

RECTOR.

DOMINUS J. M. A C. JOBIMUS.

PROFESSORES PROPRIETARII.

PRIMO ANNO.

F. F. ALLEMANUS. . . . . Botanices Medicæ et Zoologiæ elementorum.
F. A P. CANDIDUS. . . . . Physices Medicæ.

SECUNDO ANNO.

J. V. T. HOMO, *impugnator*. . . . . Chymices Medicæ et Mineralogiæ elementorum
J. M. N. GARCIA.. . . . . Generalis et specialis Anatomices.

TERTIO ANNO.

L. AB A. P. A CUNEA. . . . . Physiologiæ.
J. M. N. GARCIA. . . . . Generalis et specialis Anatomices.

QUARTO ANNO.

J. J. A CARVALIO. . . . . Pharmaceutices, Materiæ Medicæ, speciatim Brasiliensis, Therapeutices et artis formulas componendi.
J. J. A SILVA. Pathologiæ internæ.
L. F. FERREIRA, *impugnator*. . . . . Pathologiæ externæ.

QUINTO ANNO.

C. B. MONTEIRUS. . . . . Operationum, Anatomices topographicæ et Apparatuum.
F. J. XAVIERUS, *Præses*. . . . . Partuum, morborum mulierum prægnantium effœtarumque et recens natorum.

SEXTO ANNO.

J. M. A C. JOBIMUS. . . . . Medicinæ legalis.
T. G. A SANCTIS. . . . . Hygienes et Historiæ Medicinæ.

EM. A V. PIMENTELIUS. . . . . Clinices internæ et Anat. Patholog. ad illam pertinentis.
EM. F. P. A CARVALIO. . . . . Clinices externæ et Anat. Patholog. ad illam pertinentis.

PROFESSORES VICARII.

J. B. A ROSA. . . . .
A. F. MARTINES. . . . . } Sectionis Medicæ.
D. M. AB A. AMERICANUS. . . . .
L. DA C. FEIJO', *impugnator*. . . . . } Sectionis Chirurgicæ.
A. M. A M. CASTRO, *impugnator*. . . . .
F. G. A R. FREIRES. . . . . } Sectionis Scientiarum accessoriarum.

MINISTER A SCHOLÆ SECRETIS.

L. C. A FONSECA.

Facultas, ipsius sententia, opiniones in thesibus elatas, quæ auctorum propriæ existimandæ, nec probat, nec improbat.

PATRIS

MANIBUS VENERANDI,

MATRIS

SANCTIS DILECTISSIMÆ,

Cultus æterni,

FRATRI MAXIMO AMICO,

AVIÆ CHARISSIMÆ,

SORORIBUS AMICISSIMIS,

Perennis amicitiæ,

DOMINIS

L. ANTONIO È FARIA

Patruo Amico,

J. NEPOMUCENO CANTALICI

Prosperis, adversisque temporibus Amico,

J. A SILVA SANTOS

Sodali Amico,

Gratitudinis integerrimæ,

Hoc dicat

Pignus

Auctor

LECTURO.

Thesim contendentes ad Gradum Doctoris mandare typis, Lex jubet. Ejus coactu, hanc de Gastro-Hysterotomia difficili, nunquam satis disputata quæstione mandavi, latinis; menimi enim Poetæ :

..... Opere in longo fas est obrepere somnum.

Cassianis sub Judicibus, eos tantum obsecro, ut attente audiant Poetam :

Quid voveat dulci nutricula majus alumno
Quam sapere, et fari, ut possit, quæ sentiat?

DE

GASTRO-HYSTEROTOMIA

DISSERTATIO.

Gastro-hysterotomia operatio chirurgica, qua fœtus, qui per viam naturalem egredi nequit, prudenti sectione ventris, uterique matris eximitur, appellatur.

Solet etiam Uterotomia abdominalis, Hysterotomia, Sectio sive Partus Cæsareus, Hysterotomotocia quoque, vocari.

Quatuor in hac Dissertatione invenientur partes : Historia, Æstimatio, Indicationes, Operandi Methodi.

Ordinis amore ita disposui.

HISTORIA.

Quo tempore orta fuisset operatio, nescitur. Fabularum ætate, ex utero Semeles Jovis filium Mercurio exscissum, ferebatur.

Æsculapium quoque ex utero Coronidis ad rogum admotæ sibi adornatum eripuisse Apollinem, Romanis ferebatur; ut ex Ovidio :

> Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
> Semina : sed natum flammis uteroque parentis
> Eripuit.

Lycam, Medicorum ope exsecta matre, ortum, perhibent Virgilii versus :

> Inde Lycam ferit, exsectum jam matre peremptâ,
> Et tibi, Phœbe, sacrum, casus evadere ferri
> Quod licuit parvo.

Plinii sententia, merito ejusdem operationis duo vixere Romani nobiles: Auspicatius, ait, enecta parente gignuntur sicut Scipio Africanus prior natus, primusque Cæsar a cæso matris utero dictus; simili modo natus est Manlius, qui Carthaginem cum exercitu intravit.

Occurrit lib. 11, tit. 8, Digestorum lex celeberrima, quæ Numæ asseritur: Vetat lex Regia mulierem, quæ prægnans mortua sit, humari antequam partus ei excidatur: (is) qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur.

Alia apud Scriptores verba, exigui momenti gratia modo non afferens, invenio, quæ, etsi non olim adhibitam probent, attamen vetustissimam adhibendæ ideam denuntiant.

Nullum autem testimonium authenticum operationis apud vivam institutæ ante sæculum decimum sextum video. Narrat primus Gasparus Bauhinus eam feliciter uxori Elisabeth Alespachin adhibuisse Jacobum Nufer, anno 1500. Aliæ leguntur narrationes in opere, Parisiis edito anno 1581, auctore Rosseto, qui primus recte, optimisque cum argumentis feliciter posse gastro-hysterotomiam apud vivam institui sustinuit. Artis hoc modo subditione missa, magnam inter Chirurgos dissensionem commovit: alii utilitatem, alii pericula exaugebant. Objectas hypotheses, vanam theoriam experientiæ, factisque subjici convenerunt: rursus autem dissensio; rejecerunt enim alii aliis oblata facta, utpote veritate carentia, iterumque alteri, sæpius lethiferam esse gastro-hysterotomiam, alteri persæpe felices præbere eventus, statuere. Pendebat ita quæstio, quum Medici nonnulli præstantissimi, inter alios Sprengel, ad eam incubuere: ex illorum persevera, luculentaque censura patuit demum: esse gastro-hysterotomiam puerperis tanti periculi, ut paulo minor esset felicium, quam infelicium eventuum numerus; fœtibus tanti commodi, ut fere omnes servarentur.

In Dissertatione Regiæ Chirurgiæ Academiæ Simonio oblata magna legitur copia operationum, quæ per sæcula 16 et 17 fuere institutæ. Operationum, quæ per sæcula 18 et 19 usque ad annum 1835, invenitur apud Velpæum synopsis optima. Summatim, quæ per reliquos usque ad 1839 fuere adhibitæ, narrat Maygrierus. Omnium hic offero summam:

Puerperis adversi eventus (Velp.).	147	
Idem » » (Maygr.).	3	
	——	150
Puerperis prosperi (Velp.).	118	
Idem » (Maygr.).	12	
	——	130

Unde consequitur:

Prosperi : adversos :: 13 : 15

Utrum-ne Julius Cæsareæ, an Cæsari Operatio nomen debeat, haud investigo, nulla enim ad usum flueret utilitas ex solutione hujusce difficillimæ quæstionis.

ÆSTIMATIO.

Μελετη τὸ παν.
ΠΕΡ.

Lethifera, necne gastro-hysterotomia?

Erit-ne altera concludendi partus ratio prudentior, cum legibus christianis convenientior, hominibus præstantior? ut melius dicam, utrum-ne fœtus servandi gratia mater sectioni cæsareæ erit incidenda, et summo vitæ periculo exponenda, an potius fœtus ferramentis haud dubie interficientibus extrahi debet?

I. Ex præstantissimorum Medicorum scriptis, quæ accurate pervolvi, hæc collegi: alios nimis exauxisse gastro-hysterotomiæ eventus faustos, alios contra vel eam sprevisse, vel chirurgiæ indignam sensisse, alios tandem Dyonisio volenti illos puniri, qui eam adhiberent, assensisse. Ex tanta inter illos dissensione male æstimata fuisse facta perspicue patet; sperno idcirco auctoritatem, ad experientiam, ratiocinationem que venio.

Cum autem facta, quæ nuper obtuli, haud dubie authentica accuratissime studuissem, hæc statuo:

A. Gastro-hysterotomiæ sanari paulo minus dimidia sectionem experientium.

B. Esse illam fœtui innoxiam, atqui de hoc Capuronii omnino sententiæ consentio: *C'est donc, pour ce dernier, le plus doux et le plus sûr moyen de terminer l'accouchement; puisqu'on le met à l'abri des dangers qui le menacent dans toutes les autres méthodes même les plus simples.*

C. Fœtuum, qui aliquando mortui reperti sunt, mortem non operationi, sed moræ in operandum, aut aliæ cuivis ab operatione alienæ rei, asserendam.

D. Infelicium eventuum maximam partem venisse ex eo, quod non justo tempore operatio esset instituta: adhibitam enim post magnos cruciatus, vehementissimosque gravidis dolores, jam viribus exhaustis eo tempore, ubi uterus jam ad inertiam redit, ubi uteri, peritonæi, vel intestinorum imminet inflammatio, vel jam invadere cœpit, ubi demum periclitat vita, Scriptores attente pervolvens, percipio. Doctores Hull, atque Burns, illam inter Anglos infaustos genuisse eventus, eo quod illi non eam instituerint nisi ad extrema, credunt.

E. Esse pro matre dubiam et periculosam adeo, ut non sit instituenda nisi cum chirurgus exploratum habeat fœtum esse haud dubie vivum, pariterque non altera ratione nasci, neve educi intactum posse.

F. Casus, ubi gastro-hysterotomia inevitabilis, dari, veluti quando habet diametron usque ad pollicem dimidiumque pelvis. His laborantibus, fœtu etiam defuncto, est sanandi ratio adeptissima gastro-hysterotomia, nullam enim per quam extrahi queat fœtus nisi per frustra noscimus, itaque mater, tali pelvis angustia, majoribus committeretur periculis.

Ratiocinationem petens, ex analysi uniuscujusque partium, quæ huic læduntur operationi, nequaquam posse illam esse lethalem colligi, imo autem tantam infelicium eventuum frequentiam mirandam, satis patere existimo. Revera, licet sit amplissima, quæ in abdominis integumentis fit, plaga; nulla vulneratur arteria, magnus nervus, nec alia magni momenti texta. Peritonæum vulneratur, ex ipsius autem læsione in strangulata hernia affectis nullæ oriuntur infaustæ sequelæ. Vulneratur uterus, parum irritabilis vero difficulter inflammatione afficitur, imo autem celeriter ad stabilem ejusdem plagæ cicatricem perveniunt. Præterea, in Scientiæ Annalibus plura occurrunt observata ipsorum læsionum longe graviorum, quam quæ per gastro-hysterotomiam instituitur, nec mortem inferentium. Denique, adhibitis cautelis, ne ruptæ aquæ, sanguis, neve humores alii in peritonæum effundantur inter, postque operationem, facile cavetur.

II. Ex modo dictis evidenter patere sentio nullam, cum haud dubie vivus intactus non aliter fœtus educi possit, esse utiliorem concludendi partus rationem, quam gastro-hysterotomia; (omissa symphiseotomia, quæ huic tantum, ut præstantissimorum opinio, est præferenda in peculiaribus quibusdam casibus : veluti quando caput, postquam angustissimum superiorem hiatum transfretavit, in cavo pelvis hæret; quando vulvæ in oris apparuit, non educi ob inferioris hiatus angustiam potest; quando, jam trunco extracto, haud dubia fœtus vita, caput per vias naturales transmitti nequeat); ad nullam enim venire possumus non fœtui exitium parantem : gastro-hysterotomiæ alter sanatur, nec alter fortasse morietur, contra vero embryotomia alterum interficiet, nec alteri certo parcet. *On s'abuserait étrangement,* ait Velpæus, *si on s'imaginait que l'embryotomie n'est aucunement dangereuse pour la femme. C'est bien, au contraire, l'opération la plus redoutable qu'il y ait en tocologie, toutes les fois qu'elle ne se réduit pas à la craniotomie, ou qu'il faut agir dans un bassin dont les détroits ont moins de dix-huit lignes.* Puerperas esse quingentas (quod equidem verum, si ad sæcula cogitatum) sit hypothesis, quarum fœtus non educi intacti queant; habeatur nunc ratio eventuum,

qui alterutra adhibita obtinerentur : embryotomiæ (imo omnibus sanatis mulieribus, quod impossibile, sed mihi admissum ut æquipondium sit infaustis gastro-hysterotomiæ sequelis non ad Annales translatis) quingenta trucidarentur entia (fœtus) ; gastro-hysterotomiæ vero ultra quingenta (fœtus) quæ sanarentur, tertia saltem effœtarum pars servaretur, id est 166 entia.

Dixerit ille vitam fœtuum esse ancipitem, contra vero embryotomiæ servatarum melius tutam : huic autem respondebo esse vitam embryotomiam experientium ancipitem adeo ut infantulorum; enimvero cum mulieres sint aliquæ validæ quæ post operationem facile sanescant, et infantuli erunt plerique, qui infantiæ infesta vincant, non vincentibus magna apponitur copia debilium, quæ (cum operationem vincant) morbis afficientur uteri, quibus earum valetudo vertatur tam obnoxia, ut infantulorum.

Ille autem probata vitarum œconomia non contentus fortasse Societatis invocabit commoda (multi vero cum affirment esse Societati utiliorem mulierum vitam, gastro-hysterotomiam damnant); huic autem respondebo :

A. Male commodis inservire Societatis, qui præsentia tantum quærit; vero, quis agnoscere futuram fœtus utilitatem? quis, embryotomiam adhibiturus, scientiam habere non gravissime utilitatem lædendi Societatis potest, cum illam homine ex iis, qui sæcula cognominant, orbet?

B. Imo Societati prodesse matrem periculo committere mortis, cum fœtus ei esset futura tantæ, ut matris vita utilitatis; si servaretur mater, duplici utilitate frueretur.

C. Attamen ex universali regula rarissimos eximi quosdam posse casus, ubi parturientis altissimi sit momenti vita : nec sententia hæc rejicienda absona illis, qui noscant Mauricæum aliosque, qui lethiferam gastro-hysterotomiam pronuntiant, idcircoque eam rejiciunt, atque damnant, consentire attamen illi adhibendæ in peculiaribus quibusdam casibus, veluti quando Diademati hæres desit. Mauricœus quidem : *C'est ainsi*, ait, *qu'Henri VIII, qui régnait en Angleterre du temps que François Ier régnait en France, permit qu'on la fit à Jeanne de Seymour, sa troisième femme, à laquelle on fit la section Césarienne par le conseil des médecins, pour tirer de son ventre Edouard VI, qui a depuis succédé à la couronne d'Angleterre; préférant ainsi la vie de cet enfant à celle de sa mère, qui mourut quelques jours après cette cruelle opération.*

Hæc spectantem ratiocinia nullum inveniri posse, qui pro dubio habeat esse cum Ethicæ legibus convenientuis gastro-hysterotomiam, quam embryotomiam instituere, sentio; nemo etiam dubitabit quin gastro-hysterotomia sit cum christianis præceptis convenientior; potest enim, præterquam quod in primo casu, quemadmodum in secundo accidit, non homo cogitato interfi-

citur, instituta gastro-hysterotomia, infantulo vitam æternam asseri per baptismum, quod alias non contingeret.

Memoriæ infigi oportet, ut hæc rite intelligatur Dissertatio, craniotomiam præferendam gastro-hysterotomiæ, cum non evidenter vivere fœtum noscatur, casibus exemptis, ubi, non adhibita, majoribus mater exponeretur periculis, mihi esse sententiam. Credo enim, tam dubio fœtui proficuo eventu, justius, atque prudentius esse ejus vitam immolare pro illius, cui post Deum vitam debet, quam servare arborem, non studere præ ramulo, qui eminus videtur, cujus texturæ vires nosci nequeunt, qui, terræ datus vigebit, necne, cujusque tardius ac illius fructus percipientur.

INDICATIONES.

Nimia est pelvis angustia id, quod persæpius instituendam gastro-hysterotomiam indicat.

Cum inter sacrum atque pubium symphisim sit trium pollicum novemque linearum longitudo, difficillimum fœtum extrahere vivum sive manibus, sive forcipe.

Nonnullæ faventes res efficient aliquoties, ut, qui per vias naturales haud possibiles credebantur, partus ita concludantur, vel ut mulier, cui pelvis erat vitiosa, edere ultimum nequeat post multos natos, invicemque. Ea de causa priusquam ad extraordinaria veniamus, aliquando non præ manu capitis magnitudinem atque mollitiem nosci posse, meminerimus. Smellie : *Une tête très-flexible,* ait, *s'allonge en cône, et s'engage à la manière d'un coin dans les cas d'angustie pelvienne. Énergiquement poussée par les contractions utérines*, Velpæus inquit, *et musculaires d'une femme vigoureuse, elle peut s'allonger et se mouler sur les passages comme à travers une filière..... se réduire considérablement, et permettre au fœtus de venir vivant.* Pelvis etiam mensuram difficulter apud vivam exacte acquiri, pelvis symphises emolliri, vel laxari adeo ut amplientur diametra longe angusta, meminerimus. Peritia, subtilisque tactus sunt ergo necessaria ad decernendum ne parturitioni obstantia sint talia ut requiratur, necne gastro-hysterotomia. Attamen in universum hoc monendum : adhibendam gastro-hysterotomiam, licet sit fœtus mortuus, cum pollicis dimidiique, minorisve sit diametros; hinc ad pollicem dimidiumque, cum fœtus sit vitæ scientia, instituendam.

Exostoses, quæ in interna sacri, sive innominatorum facie concreverunt,

iliacarum, sive ipsarum ramulorum magna anevrysmata, erunt etiam aliquoties gastro-hysterotomiæ causæ. P. Dubois : *Il y a, en effet,* ait, *une foule de complications, qu'il n'est possible de prévoir, qui déjouent tous les calculs, et laissent l'homme de l'art livré aux inspirations de sa conscience, et aux ressources souvent insuffisantes de son art.* Magnus, quem præ se caput protraheret fœtus calculum, prout chirurgorum pars vult maxima, gastro-hysterotomiam indicat ; attamen non ad illam, nisi cum vaginalis cystotomia institui nequeat, accedendum : minoribus hæc, quam ventris sectio, uterique læsio, periculis exponit ratio. Gastro-hysterotomiam quoque, in inguinali sive, ventrali hernia contentus, fœtumque continens uterus indicat ; simplex tunc, facilis, fere sine periculo. Institui denique, si fœtus monstrosi sint, oportet.

Annalibus sunt Scientiæ authentica observata nonnulla, quæ posse ex utero defunctæ infantulum educi vivum probant, inter alia in Commentariis Medicis (*Revue Médicale*, t. 1, fol. 6, 1830) scripta, atque percepta in Nosocomio Parisino, quem *Maternité* vocant. Hisce in casibus raro felicem præbebit operatio exitum non, primis post mortem momentis, instituta. Attamen prudentis refert sectionem semper instituere : fœtuum, qui post duodecim plusque horas post prægnantis mortem, vivi sunt inventi, exempla prostant. Gardienus : *Tout Paris sait,* ait, *que la malheureuse princesse Pauline de Schwartzenberg périt des suites d'une brûlure survenue dans une fête donnée chez l'ambassadeur d'Autriche, son beau-frère ; elle était enceinte, et l'enfant fut trouvé vivant, quoiqu'elle ne fût ouverte que le lendemain de l'accident.* Apud alteram, de qua Millotius, post 48 horas incisam, adhuc vivus fœtus occurrit.

Hoc et alia esse justissimam, de qua jam supra loquutus, Numæ legem, facta probant.

Optimam edidit Siciliæ Rex (anno 1740) capitis damnantem Medicos non fœtus ex utero prægnantium ad ultimos menses educentes.

Cum infallibilia desint mortis signa, oportet, et uno quasi volunt ore Medici, ut defunctæ, quasi viverent, incidantur ; nam aliter, apparenti morte, lædens organon, sine quo esse nequeat vita, mortis auctor traducitur Chirurgus.

Chirurgorum tenacissime memoriæ sunt infigenda Pauci observata, qui sectioni, cum mulier vitæ signa præbuit, initium dabat, pleraque similia Van Swieten, Baudelocque, Rigaudeaux, aliisque oblata.

Hujusmodi haud dubie induxerunt Senatum Venetum considerationes ad hanc legem edendam : *Essendo che nelle donne, che muoisno gravide sia alla creatura esistente nel ventre ogni dilazione pericolosa, percio permettono pure sue Eccelenze di Medici sudetti aprir, e far aprir l'istesse (mentre vi e divieto rigorosissimo, che senza licenza sotto qualcunque pretesto non si possa aprir cadaveri de morti) ; da sufficiente chirurgo col toglio solito a praticarse nel parto cesario.*

onde resti nel medesimo tempo preservata la creatura, e la Madre stessa, se per anco morta non fosse, ma solo oppressa da soffocacione isterica. E perche tal operazione sia fatta da Medici e Chirurgi periti in tali incisioni, debba il Collegio de Medici e Chirurgi portar al Magistrato di sue Eccelenze nota distincta dei piu idonei, accio dei medesimi ne sia fatta rolo ed esposto a chiara intelligenza di ogn'uno nelle publiche speziarie. Ejus est ita sensibilis, tactilisque ut, qui semel lexerit, simul id confessus erit, utilitas.

Necessitatis et electionis esse gastro-hysterotomiæ, sicut plerisque aliis tempus, fert Baudelocque.

Necessitatis est cum mulier, postquam jam frui vita incepit fœtus, moriatur, id est, post quatuor menses dimidiumque, ut baptisetur.

De electionis tempore dissentiunt Chirurgi, alii, institui operationem post ruptas aquas, alii antequam effluxerint, et instanti partus labore, volunt. Ilis assentio, quia minus tunc verenda fœtus læsio; quia sectio minus fibrarum, vasorumque vulneraret, quam post uteri retractionem facta; quia plaga ad minorem recideret magnitudinem, quod non post aquarum effusionem contingeret; quia facillime ne aquæ in peritonæum effundantur cavetur; quia denique difficultatibus, hemorrhagiæ, uterique inertiæ, quæ huic rationi operandi sectioni post effusionem faventes objiciunt, commode, cum apparerent, subveniretur.

OPERANDI METHODI.

Nullus est hypogastri locus, ait Baudelocque, ubi non instituta sit exterior gastro-hysterotomiæ sectio. Methodis quidem variis sectio facta, ex earum præcipuæ hæce: Hypogastri, inciso peritonæo, sectio; integro manente, sectio; transversa sectio; obliqua; super lineam albam sectio.

Hypogastri, inciso peritonæo, sectio.

Levretius abdominis integumenta, ductu parallelo ad externum recti musculi latus, per lineam inter musculum mediam et alteram ex apice tertiæ ex spuriis costis ad spinam ossis superiorem et anteriorem ilei ductam, incidebat. Ne placentam concideret, dexterum, cum illam sinistro adhærere credebat, invicemque, incidebat. Cum autem nullum ad adhæsionem placentæ noscendam signum prostet certum, illius non regulas tradi posse præcepta, patet.

Clarius Baudelocque : Cum oporteat, ait, latus incidere abdominis, illud est præferendum, ad quod magis vergat uterus; ita commodius aperturæ aptaretur.

Integro manente, sectio.

Anno 1820 Rigten, recentiusque Baudelocque, operandi invenerunt rationem per quam non peritonæum, cui maxima operationis tribuunt pericula, vulneratur.

Baudelocque juxta pubis spinam incipit incisionem, eamque parallelo ad Poupartii ligamentum, ad usque anteriorem superioremque spinam, ductu fert. Dexterum, cum uterus ad sinistrum conversus, invicemque incidit. Epigastricam fugit arteriam, peritonæum ex ilei fovea ad usque pelvis cavum arcet, superiorem vaginæ incidit partem, os uteri abdominis sectioni adaptat, partumque naturæ cedit viribus, aut illam manibus, sive forcipe juvat.

Transversa sectio.

Lauverjatius transversim sectionem ducebat per quinque pollicum spatium, inter rectum, atque vertebrarum columnam, infra tertiam ex spuriis costis plus minusve, prout fundi uteri situs patiebatur.

Sectio obliqua.

Velpæus, etsi sectioni super albam faveat, cupiens attamen sectionem ventris lateri adaptari uteri insilientissimo, suadet sectionem, cum aquæ nondum effluxerint, sitque uterus magnus longeque inclinatus, obliquam ita, ut si iliaca Abernethy methodo ligaretur. Uteri vero sectionem fieri lunatam, ita enim faciliorem fœtui trajectum præbet, ejus celerius labra conjunguntur, sectionisque potest ad locum, ubi minus vasorum sit, convexitas verti, suadet.

Sectio super albam.

Ratione Velpæi sectio erit longa quinque vel sex pollicum, non pubibus appropinquanda propter ejus loci parietum crassitudinem, majoremque lædendæ vesicæ facilitatem, imo autem ad umbilicum ducenda, illiusque ad sinistrum ne umbilicalia vulnerentur vasa. Parvulæ hujus immutationis ad methodum Mauricæi factæ utilitas patet.

4

Nonnullæ considerationes.

Prima peccat methodus quia:

α. Arteriæ epigastricæ sive ipsius ramulorum læsio pertimescenda: β. sectionem, cujus labra conjuncta servari nequeunt propter musculorum divisionem, quorum fibræ in contraria retrahuntur, gignit; γ. uterus, cujus longitudinalis nunquam ad obliquam hypogastri sectionem parallelus invenitur axis, aperiri nequit, quin maxima ipsius fibrarum pars transversim sive oblique sectæ sint, quod majorem facit fibrarum retractionem, etiamque debilem herniisque exponentem mulierem futuris cicatricem gignit.

Peccat secunda quia:

α. Plerumque adhiberi nequit; β. minoris est periculi methodica peritonæi uterique sectio, quam vaginæ, una cum ilei foveæ, peritonæi, uterique semel atque iterum vellicati erosionibus; γ. non experientia sancita, imo autem improbata, quum enim semel Baudelocque instituisset ad alteram confugere coactus est; δ denique peritonæum, quod integrum servari conabatur scindi, ubi transeat caput, potest.

Peccat tertia quia:

α. Intersectæ sunt magni, parvique obliqui fibræ; β minimo expellerentur nixu viscera; γ. uteri tranversim fibræ inciduntur, atque ubi magna est vasorum copia; δ mox uterus, ipsius fibrarum contractione, quæ hic tantum favendi abest, ut etiam labrorum internæ sectionis noccat glutinationi, valde ex apertura recedit externa.

Quarta, præterquam quod non experientia sancita, nisi in peculiaribus, quos supra ostendi, adhiberi nequit.

Quintam ergo aliis præfero, minus enim doloris, plusque facilitatis atque celeritatis offert, etiam quod ejus vitiorum primum (vesicam facile lædendi) disparebit, si illam ante operatinem depleverimus; alterum (plagam difficulter ad cicatricem pervenientem producendi atque exitum vix humorum inter postque operationem permittendi) parvula, si cum aliarum vitiis comparentur, erunt.

Operandi modus.

Ante operationem colligenda instrumenta: cultellus, quem Lusitani bistori convexo vocant, lunatus sive falcatus, ac deinde unus, si lubet, globosam habens apicem, itemque volsellæ, et forfex cuspide obtusa, una cum acubus

curvis. Cerato illita lintea, carpta linamenta, longa et quadrata splenia, fasciæ, spongiæ magnæ probe mundæ, sipho, e gummi elastico cannulæ, tepida, etiam frigida aqua, acetum, vinum, Coloniæ aqua, sunt æque necessaria.

Parturiens jacebit in lecto, ubi primis post operationem diebus manebit. Resupina, erectis aliquantum trunco et capite, leniter flexis feminibus atque cruribus, probe est firmanda ministris vel juvantibus, qui inordinatos ob dolores motus cohibeant.

Falcato cultello Chirurgus integumentá ex umbilici ambitu ad pubes quinque vel sex circiter pollicum longitudine incidet. Sectionem non admodum juxta pubes, imo autem, ubi opus, ad umbilicum ducet, illiusque ad latus sinistrum ne umbilicalia lædantur vasa, atque magnopere inter illam et epigastricam anastomosis possibilis.

Sectis sensim integumentis ad usque peritonæum, in eo apertura facta ingressum digito tantum permittente, indicis ductu, globulo circa cuspidem munito, vel etiam forfice dilatabit illam cultello ita, ut integumentorum sit sectionis æqualis. Uterus patens est incidendus quod duobus temporibus faciendum: primo incidet, secundum longitudinem non plus dimidia parietum spissitate, uterum; secundo, sensim reliquam secabit, quoad placenta, membranæque occurrant. Iterum falcato rejecto, altero uteri vulnus, donec pro fœtu extrahendo satis pateat, diducet. Cum ad placentam veniat, ad latus potius arceat, quam incidat. Post hoc membranas incidet, summa tunc adhibita cura abdominis integument servandi utero longé adaptatissima, ne humores ad cavum peritonæi dilabantur.

Extractio sine mora fiet. Si primum caput sese ostendat, extrahendum immisso utriusque manus indici subter maxillæ inferioris angulos; si pelvis primum, quemadmodum in naturali partu, extrahenda; si aliter veniat, pedes quærendi, extractio efficienda ut in naturali partu, adhibita cautela ne sectionis uteri labra contundantur.

Ejecto fœtu, placenta membranæque extrahendæ. Ad hoc faciendum Planchonius specillo ad uterum funiculum reducebat, illumque per vaginam trahebat. Uteri vero retractio, quæ sæpius hanc impossibilem faceret industriam, ad sectionem placentam pellit, itaque selligendam extrahendæ præbet rationem. Ut minus magnitudinis offerat, utque facilius cedat, potius per oras, quam per funiculum, educenda. Membranæ circumplicatæ, ne aliquid earum in utero remaneat, sunt trahendæ. Uterus grumis expurgandus immisso ad collum digito, qui ad vaginam delabi efficiat. Velpæus ope aquæ tepidæ injectionum suadet partes expurgari, etiam inutile collum turunda, vel quavis alia substantia apertum servare putat; nec ita enim, ait, per vulnus ne effluant humores, cavetur.

Parvula erit sanguinis effusio; celeriter enim uterus sese constringit. Si autem in inertia permaneat, sectionis labra frigida aqua, seu spiritu vini rectificatissimo irriganda sunt. Post aliqua momenta sectio ad longitudinem unius vel duorum pollicum redit, impossibilisque tunc hemorrhagia.

Labrorum externi vulnus conjunctio fiet sutura; illam rejiciebat Sabatierus, fieri glutinantibus tœniis suadebat; subjicientes vero partes non probe coibunt; oportet ergo duobus vel tribus nodis clavatæ uti suturæ, interjecto in inferiori parte spatio, quod commodissimum transitum humorum ex ventre effluentium sinat. Postremum Chirurgus admovebit ligulas glutinantes, penicillos, splenia, leniterque constrictum cingulum.

Haustus perscribere opiatos, ut inordinati compescantur nervorum motus, cavere ne lochia in cavum abdominis delabantur, medicina uti antiphlogistica, statim ut pateat inflammationis symptoma, summam mentis corporisque quietem ægræ commendare, Chirurgi refert ut ei minitantia arceat pericula.

FINIS

HIPPOCRATIS APHORISMI.

1.

Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima. — Sect. 1, aph. 6.

2.

Si in magnis vulneribus et pravis tumores non appareant, ingens malum. — Sect. 6, aph. 66.

3.

Convulsio vulneri superveniens, lethalis. — Sect. 5, aph. 2.

4.

Si in ventrem sanguis præter naturam effusus fuerit, suppurari necesse est. — Sect. 6, aph. 20.

5.

Morituris signa hæc magis fiunt manifesta, et ventres attolluntur, atque inflantur. — Sect. 8, aph. 17.

6.

Quæ medicamenta non sanant, ea ferrum sanat. Quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat. Quæ vero ignis non sanat, ea insanabilia existimare oportet. — Sect. 8, aph. 6.

Ex typis Laemmert, via Lavradio, 53. — 1845.

Conformem Facultatis Constitutionibus hanc thesim esse declaro.

DR. F. JULIUS XAVIERUS.